

Universitätsbibliothek Wuppertal

Theokritu eidyllia, tutesti mikra poēmata hex-kai-triakonta

Theocritus

Francofurti, 1553

I: Thyrsis

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-724)

THEOCRI

TI SYRACVSANI EIDYLLIA,
ab Eobano Heffo Latina facta.

EIDYLLION PRIMVM.
THYRSIS.

THYRSIS ET AEPOLVS.

A Epole dulcis hic est vicinæ spiritus auræ, TH.
Dulcis et hæc strepitu fontes prope con-
sita pinus,

Et tu quod dulci modularis carmen auena
Te facit esse loco dignum post Pana secundo.

Quem si cornigero iudex donauerit hirco,
Ipse feres scetam pulchro è certamine capram.
Quod si capra magis Pana oblectabit, habebis
Ipse hornam teneramq; emixa à matre capellam:
Et caro non alia est iucundior ullius esu,

Quam, quæ multra recès nō uenit ad ulla, capellæ.
Thyr si tuum nostræ carmen iucundius auri, AEP.

Quam quæ præcipitans alta de rupe suau
Murmura unda sono: quod si pro pignore Musæ
Certantes mereantur ouem, tu pinguibus agnum
Visceribus sultum accipies: quod si magis illæ
Prætulerint agnum, pecus ipse tenebis ouillum,
Vis age per Nymphas igitur, uis Aepole mecū TH.

THEOCRITI

Hic residens tenera tumuli procliuus in herba;
 Has humiles subter calamos instare myricas;
 Interea pascam has ego te cantante capellas.

AEP.

Non licet, & mediū iam sol conscēdit ad axē,
 Tēpore quō nemo omne filet, nec carmina fas est
 Vlla sonare leui calamo, nam Pana ueremur:
 Corpora nunc siquidem uenatu fessa quieti
 Projicit, haudquaquam facilis pastoribus ullis,
 Semper ut ingenio ferus est, & pronus in iram.
 Daphnidis interea nobis cane Thyrsi dolores:
 Et quia bucolica dudum sōstigia musae
 Summa tenes, ulmū hanc sedeamus subter opacā,
 Contra hūc Lampfacij quo sunt simulacra Priapi,
 Et positæ fontana loco stant numina Nymphæ,
 Qua uirides præbent enata sedilia quercus,
 Carmina si uerò cantabis, qualia & olim
 Cantabas Libycū contra Chromm, hanc tibi donō
 Capram, quæ duplici partu foecunda quotannis;
 Et licet emulso bimos alat ubere fœtus,
 Bis tamen uberibus mulctram lactentibus implet.
 Præterea ex hedera calicem molli atq; suauī
 Collutum cera, duplici concinniter ansa
 Munitū, pulchrum, atq; nouū, q. adhuc sapit ipsum
 Artificem, teretes qui circumfuderit oras,
 Extantem folijs hederam, flauo Helichryso
 Distinctam, quæ serpit Helix letissima circum
 Effundens croceos rubicundo germine fructus.

Interiore

EIDYLLION I

Interiore sedet mulier formosa labello,
 Artifici celata manu, peploq; uenusto
 Reticuloq; nitens exercita, quam prope compti
 Tempora nuda uiri, & promisso crine comantes
 Certabant lenibus per mutua iurgia uerbis:
 Sed uerbis, quibus haud animum mouere puella.
 Illa salax oculis, nunc hunc, nunc aspicit illum
 Arridens, alij interdum blanditur: at illi
 Turgida sollicito torquentes lumina motu
 Desudant nimio uanos in amore labores.
 Hos iuxta senior scopulo piscator adheret,
 Lataq; festinans in iactum retia pandit,
 Iam uetulo referens iuueniles corpore uires:
 Mireris ualidum per membra senilia robur,
 Quo facile attractos pisces in retia cogat:
 Tantum illi cano tumuere in corpore uena,
 Quodq; queat uiridem robur decuisse iuuentam.
 Nec procul ante plagas piscantis in equore cani
 Praegravida expressa est maturis uinea botris,
 Quam iuxta sedet, & munitam sepibus aliis
 Custodit puer: at geminae per proxima uulpes
 Adrepunt loca, maturas haec palmitis uuas
 Prærodit, struit illa dolos, peraq; propinquat,
 Haud puerum missura prius quam munere cassum
 Desituat, uacuumq; cibo ad ieiunia cogate
 Ille autem insidijs cupidus captare locustas,
 Imnectens iunco pulchras contexit aristas,

THEOCRITI

Huic uni curæ intentus: nec uinea tantum,
 Nec pera est animo, quantum quas nequit, aristæ,
 Talia digessit circum cratera magistri
 Ingeniosa manus, inter quæ mollis acanthus
 Vndiq; complectens pulcherrima pocula, circum
 Funditur, agresti præbens miracula turbæ.
 Portitor hunc nobis Calydonius attulit olim
 Venalem, tanta simam pro merce capellam,
 Cascososq; dedi niuei de munere lactis,
 Necdum illi labra admoui, nec pocula, quamuis
 Hæc mea sint, tetigi, sed tantum condita seruo
 Immaculata quidem, sed quæ tibi prompta, uolensq;
 Detulerim, si fortè canas pro munere carmen.
 Quale soles, neq; n. inuideo tibi. nunc age Thyrsi
 Huc ades, haud equidem quæ tu dulcissima cantas
 Carmina, ad infernæ duces obliuia Lethes,

TH.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cætus (est,
 Aetnigena hic Thyrsis, Siculi uox Thyrsidis hæc
 Quæ nemora, aut qui uos saltus habuere puella
 Naiades, indigno quum Daphnis amore periret
 Pulchra ne uos tenuisse putem Peneia Tempe?
 Num iuga Thessalici Phœbo gratissima Pindi?
 Nam neq; detinuit placidi uos flumen Anapi,
 Non etiam scopuli flamma insuperabilis Aetnæ,
 Non sacrum coluisse putem uos Acidis amnem.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
 Illum omnes fleuere feræ, fleuere lupiq;

Pantheræ

EIDYLLION I.

Pantheræ Thoësq; nec illius impia stentes
Funera sylvestres ignorauere leones.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

Omnes hæc placidæq; boues teneriq; iuueni,
Et uituli, & fortes qui stant ad flumina tauri,
Daphnidis interitum & crudelia funera lugent.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

Venit Atlantiades primus de montibus altis,
Et, quis, ait, te Daphni furor conuulit & aufert?

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

Pastores uenere bouum per pascua cuncti,
Venerunt teneras soliti pauisse capellas:
Omnes unde amor iste rogant: tibi uenit & ipse
Impiger hortorum custos, dixitq; Priapus:

Daphni miser, quonam tanto consumeris aestu,
Dum memor illa tui circum nemora omnia cursu
Fertur, & egelidos fontes, & nota peragrat
Flumina, & intonsos saltus, montesq; supinos?

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus,

Solius illa tui cupiens, te sola requirens.
Tu uero in cælix & iniquo perditus aestu,
Cui neq; par, animo quid deficiente laboras?
At qui te dixere bouum per rura magistrum,
Nunc similem sterili pascenti in rupe capellas
Conspiciunt: namq; hic salientem sæpe capellas
Cum uidet, esse uolet sese quem conspiciit hircum,
Et miser interea limos tabescit ocellos.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
 Sic quoq; tu teneras spectans risisse puellas
 Internas tacito consumeris igne medullas,
 Et tua sollicito liquuntur lumina visu,
 Friuola quòd blando moucant incendia saltu
 Te sine, nec sociæ dignentur honore chorea.
 His nihil ille quidem quicquam respondit, at amens
 In tam difficili tantum perstabat amore,
 Quantum quod reliquæ superabât tempora uitæ.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
 Venit & ipsa tamen suauissima mater amorum;
 Ridens dulce Venus, sed blando subdola uultu
 Occuluit tacitum turbato in corde dolorem:
 Tunc, inquit, miserande puer pugnabis amoris?
 Tunc illum domuisse paras? & posse fereris?
 An potius tete ille domat? num uincis amorem
 Vrgentem infesto tua nunc præcordia telo?

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
 Cui Daphnis: Dea seu Venus, semperq; nocendi
 Prodigia, digna odio, Venus tracunda, minaxq;
 Narrat enim Phæbus iam dudum hæc omnia nobis.
 Deficit hic uerò Daphnis, ferturq; sub umbras,
 Opprobrium miseri crimenq; futurus amoris
 Longè apud infernas Plutonia regna paludes.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
 Quin potius pergis, Phrygiâ quin pergis in Idæ,
 Qua Venus, ut perhibet, pastore est passa maritum.
 Quin pe

EIDYLLION I.

Quin petis Anchisen, quæ circum plurima desent
 Umbrosam querceta nemus, loca commoda furtis;
 His tantum uirgulea uirent humilisq; cyperi,
 Dulci onisq; strepunt apiaria mellea bombis.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

Est etiam tibi formosus dum pascit Adonis,

Et timidos iaculo lepores configit acuto,
 Insequiturq; feras, per deua lustra uagantes.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

Quin iterum accedis, Tydide cominus arma
 Et iactas, Daphnin quia uiceris ipsa relicta.
 Verum age, nunc mecum iniusto certamine pugnas

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

O montana lupi quicumq; hæc lustra tenetis
 Thoës, & ô altis habitantes montibus urfi,
 Non ego uos ultra per deua lustra uidebo,
 Per nemora hæc Daphnin satis est uixisse, Valet,
 Tuq; uale, patrijs Arethusa celebrior undis,
 Et fluuij quicumq; sacram sub Thymbridis undâ
 Insultis, uos extrema nunc uoce saluto.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

Ille ego sum Daphnis, proprijs qui pascua bobus
 Hæc teneo, atq; idem longo iam tempore Daphnis
 Hos tauros, atq; has uitulas ad flumina duco.

Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.

O Pan Pan, seu longa tenes dumeta Lycæi,
 Seu tu Menalias arces, tua regna, frequenter as,

THEOCRITI

Lingue Helices alti q̄ excurrit in æquora montē,
Lingue Lycaonidæ tandem sublime sepulchrum,
Quod magnorum etiam mirentur numina diuūm,
Oppositamq̄ uerū Siculae telluris in oram.

Claudite bucolicos mea carmina, claudite cātus.
Pan ades, & calamos hos accipe dulce sonantes,
Compactosq̄ tibi, quos circa labra canentis
Illita complexu conuoluit cera tenaci:

Quandoquidem pereoseuo confectus ab æstu,
Infernasq̄ trahor non digna morte sub umbras.

Claudite bucolicos mea carmina, claudite cātus.
Nunc uiolis frondete rubi, florescite spine:
Nunc etiam pulchro Narcissi in flore comantes
Iu uiperiq̄ breues pugnantiæ scetibus ædant
Omnia natiuis: ferat hæc pyra mollia pinus:
Nunc timida catulos agitent in retia ceruæ,
Stridula uocali philomelæ noctua certet,
Dum perit extinctus crudeli funere Daphnis.

Claudite bucolicos mea carmina, claudite cātus.
Hæc tunc ille canens placido sic sine quieuit.
Quē tamē aspiciens Venus ut miserata iacentē est,
Erectura fuit, sed iam fatalia uersis
Omnia fila retro ceciderunt languida Parcis.
ille quidem fluium nauis transiuit auari,
Sustulit unda uirum Musis uehementer amatum,
Omnibus & gratum præstanti pectore nymphis.

Claudite bucolicos mea carmina, claudite cātus,

EIDYLLION I.

Tu nūc trade scyphū, teneram nunc trade capellā,
 Ut Musis de lacte mero libamina ponam
 Illius emulsæ: nunc ô mea numina Musæ
 Aeternum saluete, quibus mea fistula debet
 Omnia quæ reliquæ superabunt tempora uitæ.

Mellibus Hybleis totum tibi doctæ Poëta
 Os fluit, atq; merum spirant tua guttura nectar,
 Ipse fauos loqueris, ceu ficu passus opima,
 Quam uel ab Attidibus transmiserit Aegilus oris,
 Postquam ipsas superas arguta uoce cicadas.
 Hunc igitur cape Thyrsi scyphū, quæ suauia olentē
 Formosæ lauere suis in fontibus Horæ:
 Huc ades ô Cissetha, hanc mulge, huc ite capellæ,
 Ne fortè iste salax in uos lasciuiat hircus.

AEP.

ARGVM. II. EIDYLLII

Subijcitur hoc Eidyllio mulier Simætha, Dela-
 phidis cuiusdam Myndij amore capta, quem pueri
 liter magno studio ac tolerantia occupatum in pa-
 læstra, philtris quibusdā ac medicaminibus amato-
 rijis famulæ Thestylidis opera adiuta pertrahere
 ad se studet, Lunam atq; Hecaten implorans, ueluti
 utiles ad amorem adiutricēsq; nocturnas deas. Pa-
 rum aptè uerò Thestylida transfudit Theocritus
 ex Sophronis poëta Mimis.

B 3